

Ob 12

1879.1.



# INDEX LECTIONUM

IN

## LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSE

PER AESTATEM

A DIE XXI APRILIS ANNI MDCCCLXXIX

INSTITUENDARUM.

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

PRAECEDIT DR. FRANCISCI DITTRICH QUAE PARTES FUERINT PETRI PAULI VERGERII IN COLLOQUIO  
WORMATIENSI INQUISITIO.

BRUNSBURGAE, 1879.

TYPIS HEYNEANIS.



INDEX LECTIUM

II

LYCEO REGIO HOSIANI BRUNSBURGENSE

PER ANNO

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. J O S. B E N D E R,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIĄZNIKA MIEJSKA  
IM. KOPEŃSKA  
W TORUNIU

Bibliothek  
des  
Copernicus-Vereins  
zu THORN

1943:202

UNIVERSITÄT

LIBRARY

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSIS  
**R E C T O R E T S E N A T U S**  
CIVIBUS SUIS

S.

**I**n colloquio Wormatiensi, quod Carolus V imperator expetentibus iam dudum Lutheranis et consentientibus Francorum rege Francisco et Paulo III Pontifice<sup>1)</sup> ad sedandas „amicabili colloquio“<sup>2)</sup> religionis turbas concesserat, die V Novembris a. 1540 inopinatus adfuit etiam P. P. Vergerius, episcopus Iustinopolitanus<sup>3)</sup>. Cuius mandatu intervenerit cuiusque negotia procuraverit, in hoc non conveniunt neque qui conventui illi interfuerunt neque qui postea hac de re scripserunt. Alii enim, e quibus Pallavicinum<sup>4)</sup> et de Leva<sup>5)</sup> nomino, a rege Francorum, alii vero a papa eum missum esse

1) Ita inter eos convenit in conventu Niciae a. 1538 habito. Cfr. Hugo Laemmer, Monumenta Vaticana historiam ecclesiasticam saeculi XVI illustrantia. Friburgi Brisgoviae 1861. p. 193, p. 194: „Jo vi riduco in memoria quello, ch'io vi scrissi d'Aque Morte si di la resolutione presa cum Nostro Santo Padre il Papa, come cum il detto Re di Franza in Aque Morte, et conforme a questo bisogna incaminar ...“ Ex epistola Caroli Caesaris ad Ferdinandum Regem. Valdoletti 22 Sept. 1538. Cfr. Doellinger, Beiträge zur Geschichte Carls V, Philipps II und ihrer Zeit I, 23.

2) Cfr. Pauli III epistola ad episcopum Feltrensem, suum ad conventum Wormatiense nuntium (Le Plat, Monumenta ad historiam concilii Tridentini potissimum illustrandam spectantium amplissima collectio (II, 676): „Cum nuper a Caes. mai. nobis significatum fuerit, conventuros esse propediem Wormatae aliquot hinc a Catholicis Germaniae, inde a Protestantibus se vocantibus eiusdem nationis deputatos, qui amicabili colloquio inter se absque ullis contentionibus vel disceptationibus habito super dissidio religionis ... aliqua media excogitent ... — Cfr. Ex literis Caroli Caesaris ad Ferdinandum Regem super causa religionis 18 Julii 1538 scriptis (Mon. Vat. p. 191): „Et considerar imprimis di persuader alli desviati di nostra antiqua religione di redursi et accordar amicabilmente, et che il detto Signor Re et io insieme li tenneremo la mano, et che per l'autorità dil nostro detto Santo Padre la cosa s'accordi“. Cfr. p. 194.

3) Paulo Papae III D. Rob. Vancopius. Wormatae 27 Nov. 1540 (Mon. Vat. p. 304. 305): „Die quinta huius mensis Wormatiam venit episcopus Iustinopolis“.

4) Cfr. Historia conc. Trid. I. IV, c. 12, 11; I. VI, c. 13, 3. Cui adstipulatur Tiraboschi, Storia della letteratura Italiana VIII, p. 379: „Vergerio alla fine del 1540 al Colloquio di Vormazia speditovi in suo nome dal Re di Francia, ed il Card. Pallavicino dimostra ad evidenza la falsità di ciò, che altri affermano, che sotto quella apparenza ei vi assistesse veramente in nome del Papa“. Cfr. Joh. Nep. Brischar, Beurtheilung der Controversen Sarpis und Pallavicini's in der Geschichte des Trienter Concils p. 117 seq.

5) Storia documentata di Carlo V in correlazione all'Italia Del Professore Guiseppe de Leva. Venezia 1863—67. III, 406.

suspiciantur, cuius rebus sub alieno nomine occulte inserviret, ita Sleidanus<sup>6)</sup>, Paulus Sarpus<sup>7)</sup>, Cantu<sup>8)</sup> et qui vitam Vergerii conscripsit Chr. Henr. Sixt<sup>9)</sup>; alii denique, ut Papadopolus<sup>10)</sup> et e recentioribus Kausler et Schott<sup>11)</sup> dubii haerent litemque adhuc sub iudice esse opinantur. Ideo non inutilem rem me facturum puto, si collatis inter se examinatisque variis sententiis denuo quaestionem solvere conatus fuero, cuius vicem Vergerius Wormatiae impleverit.

Natus anno 1498 Capodistriae seu Iustinopoli quum optima ingenii indole polleret Vergerius, ad academiam Patavinam tunc celeberrimam deductus quum liberalibus artibus tum maxime iuri civili operam navavit, ut viam sibi ad summos sive in republica sive in ecclesia honores muniret. Absolutis literarum studiis primum Patavii, deinde Mantuae et Venetiis haud ignobilis iurisconsultus fuit. Attamen maioris gloriae cupiditate incensus, ut ingenii dotes frequentiori, ut ita dicam, theatro spectarentur, Romam se contulit, ubi mox Clementis VII Pontificis familiaris factus quum virum sagacis ingenii animique ad omnia negotia suscipienda tractandaque idonei se probasset, a. 1530 ad comitia Augustae celebranda sedis apostolicae legatus missus est. Neque fefellit spem. Qua enim facundia erat et dexteritate facilitateque in variis muneribus obeundis, — ut ea, quae e Germania ad curiam Romanam, quamdiu legationis munere functus est, retulit<sup>12)</sup>, aperte testantur —, maximam non modo rerum Germanicarum peritiam brevi sibi comparavit, sed etiam omnium qui aliqua auctoritate erant ipsiusque Ferdinandi regis favorem ac benevolentiam sibi conciliavit.

Quum maxima omnium laude et flagrantissimo religionis tuendae ardore magnos legationis suae labores pertulisset<sup>13)</sup>, episcopatum Madrusiensem obtinuit, non multo vero post „tanquam de re christiana optime meritis haeresumque hostis acerrimus ad Iustinopolitanam sedem proventus est a Paulo III tanto Pontifice“<sup>14)</sup>. Munere suo episcopali in patria urbe ita Vergerius functus est, ut Ughellus<sup>15)</sup> cum laudibus ornaret, quod verbo et exemplo ita gregem pavisset, ut seniores etiam pietatem maturam episcopi juvenis admirarentur. Quanquam magnopere dubitare licet, num haec vivendi ratio quieti et otiosa in solitudine insulae illius saxosae viri alacri altoque ingenio praediti animum abunde expleverit<sup>16)</sup>. Et qui laute vivere sumptumque facere solebat, reditum vix ducentorum

<sup>6)</sup> De statu religionis et reipublicae Carolo V Caesare commentarius (ed. Argent. 1566) l. XIII, f. 221: „Erat etiam hoc in conventu P. P. Vergerius, episcopus Iustinopolitanus, verbo quidem tanquam Galliae regis causa, sed revera missus a Pontifice, qui suis rebus illum servire magis posse putabat, siquidem alieno nomine ibi versaretur“.

<sup>7)</sup> Historia del Concilio Tridentino. Terza ed. 1656. l. I, p. 96: „Vi arrivò anco il Vescovo di Capo d'Istria, ... il quale, se ben mandato dal Pontefice come molto versato nell' intendere gli humori di Germania, intervenne però come mandato da Francia, per meglio fare il servizio del Papa sotto nome alieno“. Cui recte respondet Pallavicinus: „Suavis“, inquit, „qui ea narrat, quae ipse commiscitur, semperque commiscitur in Pontificibus callida et fraudulenta consilia, scribit fidenter, Pauli opera ibidem Vergerium adfuisse, sed sub regii administri persona, quo rem opportunius promoveret“ (l. c.).

<sup>8)</sup> Gli Eretici d'Italia. Torino 1866. II, p. 112.

<sup>9)</sup> Petrus Paulus Vergerius, päpstlicher Nuntius, katholischer Bischof und Vorkämpfer des Evangeliums. Braunschweig 1855. S. 73 ff.

<sup>10)</sup> Historia Gymnasii Patavini, t. II, f. 66 seq.: „A. 1541 patriae infulus clarior postremo Nuntius abiit in Germaniam ad Wormatiensia comitia, sive missus, sive, quod alii verius putant, sponte sua quasi regis Gallorum Legatus“.

<sup>11)</sup> Briefwechsel zwischen Christoph, Herzog von Württemberg, und Petrus Paulus Vergerius (Bibl. des literar. Vereins in Stuttgart. XXIV. Tübingen) p. 5.

<sup>12)</sup> Cfr. Mon. Vat. p. 146 seq.

<sup>13)</sup> Raynaldus, Ann. eccl. XXI (I, fol. 268 et 425).

<sup>14)</sup> Ughellus, Italia Sacra V, 391.

<sup>15)</sup> l. c.

<sup>16)</sup> Pallavicinus (l. c.) Vergerium ex eorum conditione fuisse iudicat, qui nec procul negotiis vitam ducere queant, nec putant absque se negotium ullum confici posse.

ducatorum ex episcopatu suo percepit, ita ut haud raro impendia redditum exsuperarent et episcopus vix haberet, unde viveret. Adde quod insuper pensio circiter quinquaginta ducatorum, qua ecclesia Iustinopolitana onerata erat, quotannis ei solvenda erat<sup>17)</sup>. Qua ut liberaretur, pluribus abhinc annis et ipse, quotiescunque Romae commorabatur, et per patronos suos cardinales frustra expetierat<sup>18)</sup>. Quumque tantam pecuniae summam conficere persaepe non posset, res eo pervenit, ut excommunicationis poenam non semel incurreret. Talibus angustiis ut se expediret et attritis attenuatisque facultatibus mederetur, a. 1540 dioecesi sua decessit<sup>19)</sup> invitatus, ut ipse ait<sup>20)</sup>, ab Hippolyto Estensi cardinali. Qui quem ad finem Vergerium ad se vocaverit, ex documentis historiae hucusque obviis solide erui nequit, nisi forte spe amplificandae rei familiaris oblata virum hunc acrem et industrium rerumque Germanicarum peritissimum ut regi Francorum, quocum domus Estensis affinitatis vinculo coniuncta erat, officia sua praestaret, allicere in animo habuit<sup>21)</sup>. Die 24 mensis Aprilis a. 1540 Vergerium iam inter familiares Hippolyti cardinalis fuisse ex epistola Cortesii, Mantuani monasterii S. Benedicti abbatis celeberrimi, ad Contarenum cardinalem scripta discimus<sup>22)</sup>. In colloquiis cum abbate habitis ardentissimum Vergerius deo et ecclesiae inserviendi desiderium prae se tulit, adeo ut Cortesius bene de eo sperandum esse iudicaret. Qua occasione data quum comperisset, quam gratus esset Cortesius Contareno, cuius familiaritate ipse quoque olim Venetiis usus fuerat<sup>23)</sup>, ab eo petiit, ut apud

<sup>17)</sup> Mon. Vat. p. 310: Jo ho quella mendicità di ducento o poco poco più di rendite al mondo, et non ho ne tanto saper ne tanta perfettione, che io possa viver con quella et avanzar ogni anno 50 ducati di camera, che fanno attorno 55 scutati, da pagar pensione, perciò mi scuso con Dio et col mondo, se lascio quelle infelici pecorelle nel pericolo che sono, et se io vo cercando di poter pagare et vivere un poco da vescovo. Signore, pensate quanto tempo è che a man giunte vi domando a tutti per clemosina questa poca cosa, et con quante autorità di Re et Regine et Cardinali, et che tanta è la mia povertà, che presi da V. S. Reuma dieci scutati da prestito per potermi far assolvere et pagar spese di Notari“. Paulus Vergerius Cardinali Brundusino. Wormatiae 26 Dec. 1540.

<sup>18)</sup> L. c. p. 310: „Sono parecchi anni che io non leggo altro nelle lettere delli miei patroni di Roma, o quando io vi sono, che non odo altro che quella medesima cantilena: Troviamo buoni animi, buone volontà et promissioni ce“.

<sup>19)</sup> L. c. p. 310, 311: „Et in questo mezzo due volte son scomunicato et pago con l'usura delle spese; et hora che V. S. Reuma et anche il Reumo Santa Croce mi ne scrivete così buone parole, M. Antonio mi scrive che Natale è venuto et che io paghi, et pagar bisogna con oro, che esso non vuol speranze in pagamento. Se a dover conseguir 50 Scutati mendichi all' anno bisognasse che io aspettasse che'l Papato havesse il modo di darli, farei male a non l'aspettare, et harrei torto a non credere che vi fossero buoni animi, buone volontà et promesse. Ma se 'l Papato ha da sgravarmi et può farlo con M. Antonio in una parola sola, et in tanto tempo non mi sgrava con tante mie intercessioni, tante lacrime, tante importunità che ho usato, perdonatemi, Signore, se alcuna volta io fosse un poco scarsetto a credere ogni cosa. La mia conclusione è questa, che da parte di Christo vi prego che mi liberiate tandem in effetto, onde io posso andar dove è il desiderio et debito mio et starvi senza haver ogni sei mesi un cedulone sulla porta della mia chiesa, che non ne vide mai, se non a questi tempi, che manco bisogna in que confini“.

<sup>20)</sup> „Rimorchiato (come si dice a Venetia)“. Ep. ad Aretinum d. 18 Aprilis 1540 (Lettere scritte al Signor Pietro Aretino. 1552. p. 176).

<sup>21)</sup> Id enim si non concludere, tamen conicere licet ex hisce verbis, quae legimus in epistola Joannis Poggii Nuntii Apostolici Cardinali Farnesio data (Wormatiae 18 Januar 1541): „El Vergerio è venuto ... iustificando la venuta in servitio del Re Christianissimo per ordine del suo patrono“ (Mon. Vat. p. 340).

<sup>22)</sup> Cfr. Epist. Cortesii ad Contarenum d. 24. Aprilis 1540 (Gregorii Cortesii monachi Cassinatis S. R. E. Cardinalis omnia, quae hucusque colligi potuerunt, sive ab eo scripta, sive ad illum spectantia. Patavii 1774. I, p. 129): „Al presente si ritrova con Sua Signoria il Vergerio Episcopo di Capo d'Istria, qual mostra un ardentissimo desiderio dell' onore del Signor Dio, et penso, che pur debbia fare qualche frutto“.

<sup>23)</sup> Cfr. Papadopulus (l. c. f. 66): „Inter Familiares Gasp. Contareni, deinde Cardinalis, fuit.“

cardinalem illum, qui maxima tunc auctoritate apud Pontificem fruebatur, intercederet, ne pensionem, cuius supra commemorationem fecimus, ulterius solvere teneretur<sup>24</sup>).

In Franciam ubi cum Hippolyto cardinali pervenit, vidit etiam Margaretham reginam, quae et ipsa causae Lutheranorum favebat et Renatam, Ludovici XII filiam ducisque Ferrarensis uxorem, ad eorum partes traxerat. Cuius de religione sermonibus et colloquiis quantopere Vergerius delectaretur, literae illius ad Victoriam Columnam marchionissam testantur<sup>25</sup>). Regem reginamque Franciae eo adduxisse videtur, ut literis commendaticis precibusque causae suae in curia Romana tunc tractatae patrocinarerentur<sup>26</sup>). Rex insuper eum pensione ducentorum ducatorum muneribusque largis donavit. Unde facile succurrit cogitatio, Vergerium non alium ob finem tantis praemiis beneficiisque cumulatum fuisse, quam ut officium aliquod regi praestandum susciperet.

E Francia episcopus Iustinopolitanus confestim WORMATIAM profectus est, ut colloquio ibidem habendo interesset. Ubi quid agere ac moliri in mente haberet, mox ostendit. Quum enim adhuc in itinere esset, BRUXELIS Cervino cardinali, legato apostolico, libellum tradidit, quo evincere nitebatur, colloquiis disputationibusque minime utilitati ecclesiae consuli posse<sup>27</sup>). Et quod in itinere inchoaverat, WORMATIAE persecutus est. Calendis enim Ianuarii a. 1541 orationem „ad oratores principum Germaniae, qui WORMATIAE convenerunt, de unitate et pace ecclesiae“ inscriptam, quam paulo ante legato apostolico obtulerat, si non habuit, tamen typis impressam distribuit<sup>28</sup>). In qua quamvis multa et praeclara de unitatis et pacis ecclesiasticae necessitate disserat viamque ostendat, qua sola ad morum emendationem perveniri et ecclesia ad pristinam puritatem reduci possit, tamen non obscure eo omnia spectant, ut principibus Germaniae, significatis incommodis et periculis ex discordia iamiam enatis et adhuc imminetibus, persuadeat, ut non synodo nationali sive, quod idem sit, colloquiis privatis, sed concilio oecumenico viam pacis et concordiae investigent. „Infixum“, inquit, „in animo habetote, quod hoc tempus atque iste locus non poscit sibi spectacula ullius logomachiae neque etiam poscit, ut prodeatis in quondam veluti scenam ad ostendendam acrimoniam vestrorum ingeniorum, vim vestrae eloquentiae, divitias vestrae doctrinae, memoriam rerum plurimarum. Res omnino gravis et nimis seria agenda est“. Maximo sane desiderio flagrat exoptatissimi illius diei, quo quum sibi tum reliquis aliarum nationum viris in concilio generali dicere liceat, quid de singulis articulis tunc in controversiam vocatis sentiant, multaque verba consumit in commendanda synodo generali. Hoc solum, ait, remedium, quo inde ab apostolorum tempore ecclesia semper ad contentiones de fide vel ceremoniis componendas usa fuerit, dissidiis etiam nationis Germanicae et periculis inde exortis finem facturum esse, minime vero synodum privatam unius nationis, cuius decreta nec Francia nec Hispania nec Italia sint approbaturae. „Itaque prorsus soli maneretis cum vestro hoc Germanico concilio divisi de reliquis omnibus nationibus cum magna illarum despectione et iniuria“. Ceterum Caesarem dicit colloquium WORMATIENSE non convocasse

<sup>24</sup>) Vide quae modo adnotavimus et quae sequuntur (l. c.): „Esso Monsignore di Capo d'Istria mi ha fatto molta istanzia che debbia raccomandarlo a Vostra Signoria per una certa pensione, qual'è sopra il suo Vescovato, e desidera esserne liberato: e perchè mi pare giustissima petizione, il raccomando con tutto il core a V. S. Reverendiss“.

<sup>25</sup>) Lettere volgari ed. 1542. I, 100.

<sup>26</sup>) Cfr. quae supra (17) adnotavimus.

<sup>27</sup>) „Il rev. Vergerio ... mi ha data la copia di una scrittura data per Sua S. al rev. legato colla opinione sua in materia del colloquio“. Ex ep. Francisci Contareni oratoris Veneti apud Caesarem. BRUXELIS d. 26 Sept. 1540. Bibl. Marc. it. cl. 7, cod. 802 msc. (G. de Leva III, 407).

<sup>28</sup>) „Jo scrissi una certa mia colloquione, nella quale raccolsi quei luochi che mi parevano essere al proposito per dissuadere il privato et suadere l'universale concilio“. P. P. Vergerius Card. Brundusino. Ratisb. 23 Febr. 1541 (Mon. Vat. p. 357).

nisi velut praecursorem et nuntium futuri concilii, ut Germani, quorum animi diuturnis contentionibus essent exacerbati et divisi, inciperent mitigari et coalescerent in unum et remedium pararent tanto malo. Neque modo Carolum imperatorem, sed etiam Ferdinandum regem Franciscumque regem christianissimum, cui pax ecclesiae prae ceteris cordi sit, desiderare concilium generale idque solum propter securitatem et salutem Germanorum. Obtestatur denique Vergerius ut in exordio ita pluribus orationis huius locis, se solummodo, quum forte non procul Wormatia abfuerit, ut pacis concordiaeque amantem et episcopum, quem praecipuam deceat curam habere rerum ecclesiasticarum, ac proinde ut privatum, non tanquam oratorem ullius principis ad colloquium accurrisse<sup>29)</sup>. At nemo, quod sciam, eorum, qui conventui interfuerunt, fidem ei habuit, et quamvis alii in alias abirent opiniones, aequae tamen omnes suspicabantur, quod veram suam sententiam agendique rationem dissimularet.

Mihi quidem recte iudicasse videntur Germani, „a quibus Vergerius putabatur mandato christianissimi regis advenisse“<sup>30)</sup>. Et revera multa sunt, quae hanc opinionem stabilire videantur. Ut enim obiter tangam, quod iam supra commemoravi, Vergerium confestim e Francia regisque aula Wormatiam se contulisse, illud maximi sane ponderis est, eum ibidem quovis modo negotium Francorum gessisse. Primum enim omnem curam adhibuit, ne colloquium iniretur prosperumve eventum sortiretur, conciliique oecumenici tanquam unici tantorum malorum remedii acerrimum se defensorem ostendit. Nonne qui talia tunc temporis suasit penitus e mente regis Francorum locutus esse egisseque iudicandus est, quippe qui omnibus faveret, quae discordiam inter Germanos alere ac nutrire, omnibus obsisteret, quae turbas sedare et dissentientes de religione inter se conciliare possent? Quo tempore Wormatiae de unione tractabatur ipseque rex Franciae oratores suos miserat, ut ad rem hanc salutarem, quemadmodum imperatori promiserat, operam suam conferret, „missis aliquibus nuntiis Württembergensem ducem confirmavit, ducem Saxoniae et landgravium sibi coniunxit, ultra alios sub se in Germania capitaneos confecit et illis stipendia dedit rogavitque, ut delectum militum pro sua M. agerent“. Unde quum multis in suspicionem veniret, parari bellum proximo vere Germanis inferendum, Vergerius Vancopio,

<sup>29)</sup> En eius verba: „Ego dum vos videbo in gravissimis studiis gravissimisque consiliis versari, agam vobiscum ea potissimum de re, quae vestris oculis atque animo obversari perpetuo debet et quae horum omnium laborum vestrorum scopus futura sit, id est de pace atque unitate ecclesiae. Nam in tam magna ecclesiae ipsius tempestate exercente non modo vestra sed totius nostrae aetatis ingenia, pudebat me solum dormire aut ociari. Haec vero quae nunc scribam, vos sumite in manibus et semel legite, si quando in tantis laboribus paulisper relaxare animum volueritis. Puto enim, me scripturum pauca quaedam non iniucunda certe christiana atque ea valde familiariter et amice, nempe ut soleo in quotidiano vestro convictu, neque discedam unquam ab illa tum animi simplicitate, tum dicendi tenuitate, qua utor, si quando vobiscum versor. Nam ex hoc labore laudem omnino nullam quaero, aut si laus a me ulla quaerenda est, pietatis laudem quaero, et si quispiam vestrum, ubi mea legerit, voluerit me appellare pacis et concordiae amantem, ego vero hanc laudem libens agnoscam et sumam, sed non nisi in gloriam Dei, qui mihi solus hoc dedit, ut aliquando agnoscerem, hanc esse veram laudem, et plane confirmo, me toto animo et tota mente de ea cogitare dies noctesque atque illius amore incitatum et inflammatum nunc privatum recurrisset ad vos. Nostis enim omnes, versatum me in hac causa quinquennio fuisse, quum primum Clementis VII, deinde Pauli III Pont. Max. apud vos legationem obirem. Itaque homo, qui eam causam magnopere diligo, qui ministerio Episcopi fungor, quem praecipue decet nosse ea, quae aguntur in ecclesia Dei, qui denique non procul hinc aberam, ita volente Deo hoc tempore, quo is vester conventus instituebatur, venire huc omnino debui, ubi viri docti et pii tam frequentes ex tota Germania essetis de Christi causa collocuturi, atque ubi sciebam affuturos esse ex Italia et Hispania complures alios eruditione et pietate insignes. An poterat mihi toto cursu vitae meae ulla occasio contingere, qua maiore meo commodo multa discere potuissem ex his, quae tum ad defendendam ecclesiae pacem, tum ad aeternam salutem et vitam consequendam pertinuissem?“ (Mon. Vat. p. 313.) Oratio haec primum typis excusa est Venetiis a. 1542. Fragmenta aliquot nobis offert H. Laemmer in Monumentis Vaticanis p. 312—317; germanice legitur apud Sixt. I. c. p. 75 seq.

<sup>30)</sup> Paulo Papae III D. Rob. Vancopius. Worm. 27 Novembr. 1540 (Mon. Vat. p. 305).

nuntio apostolico, persuadere studuit, „regem Franciae id non eo animo facere, ut pugnaret, sed ut contra hostem se muniret“<sup>31)</sup>, hoc ipso aperte ostendens, se revera vicem regis implere. Et hoc sane mirum. Quotiescunque Carolus imperator in eo elaborabat, ut ad discordiam resarciendam concilium generale convocaretur, Franciscus rex omnem lapidem, ne id fieret, movit. Et ubi idem imperator mutato consilio amicis inter utriusque partis theologos colloquiis discordiarum radicem evellere conabatur, oratores Franciae nulli labori pepercerunt, ut colloquium velut concilium nationale diffamarent et synodum generalem exposcerent. Mitto hic, quantas difficultates Francorum rex cardinali Contareno, legato apostolico, anno insequenti Ratisbonae de unione tractanti paraverit<sup>32)</sup>, ut illud unum commemorem, oratorem Franciae ut paulo ante Hagenoae<sup>33)</sup> ita etiam in comitiis Wormatiiae habitis colloquium dissuasisse, concilium vero generale omni studio commendasse<sup>34)</sup>. Quum igitur Vergerius quod Francorum regi tantopere cordi erat, idem et ipse tanta sollertia persequeretur, quis dubitare poterit, quin eius mandatu egerit, cuius rebus consuluit? Huc accedit, quod, quamvis alioquin se oratorem ullius principis esse publice negaret, tamen non potuit non confiteri, se „servum esse“ regis Franciae<sup>35)</sup>. Et quod ore prodidit, re etiam probavit. Spirae enim paulo post colloquium Wormatiense in domo oratoris Gallici deversabatur<sup>36)</sup>, quem etiam Norimbergam proficiscentem comitatus est<sup>37)</sup> frequensque commercium habuit cum oratoribus Franciae et Angliae<sup>38)</sup>. Parvi vero faciendum esse putamus, quod in Pontificis ministrorum literis persaepe legimus, Vergerium Melanchthonis eiusque sociorum, quos et Francorum oratores maximo favore prosequerentur, commercio atque colloquio usum fuisse, quos ad

<sup>31)</sup> D. Robertus Vancopius Cardinali Farnesio. Worm. 7 Januar 1541 (Mon. Vat. p. 321—322). Cfr. Raumer, Geschichte der europäischen Völker I, 492.

<sup>32)</sup> Cfr. Girolamo Dandino al Card. Contarini. Da Bles a 25 di Marzo 1541 (Monumenti di varia letteratura tratti dai Manoscritti di Monsignor Lodovico Beccadelli. Bologna 1799. tom. I, pars II, p. 127); cfr. ibidem p. 171, 173, 178, 180; Il Card. Gasparo Contarini al Card. Farnese. Da Ratisbona alli 28 d' Aprile 1541 (Quirini, Epistolae Reginaldi Poli III, CCLV); Il Card. di Mantova al Card. Contarini. Da Loces alli 17 de Maggio 1541 (ibidem p. CCLXXXVIII).

<sup>33)</sup> Episcopus Mutinensis Cardinali Farnesio. Hagenoae 23 Julii 1540 (Mon. Vat. p. 299).

<sup>34)</sup> Episcopus Mutinensis Card. Farnesio. Ratisbon. 1 Martii 1541 (Mon. Vat. d. 364, 365): „Hierì fu quì l' Ambasciator di Francia, quale mi pare persona molto accorta, et cominciò a persuadermi, che quì non si dovea, ne si potea dar principio a cosa alcuna della Religione. Ma si dovea far un Concilio in Francia, al qual sperava, che N. S. essendo conosciuto il suo Re tanto Catholico dovesse facilmente consentire. Et non era fuori d'opinione, che Lutherani volentieri sarebbero venuti . . . O si pur non si potesse far un Concilio così Generale, almeno si potesse far un Convento pur in Francia del fior delli huomini dotti d'ogni natione. Perchè concordandosi la Germania sola, non seguirà per questo l'unione di tutta la chiesa, anzi seguirà maggior schisma“.

<sup>35)</sup> Paulo Papae III D. Rob. Vancopius. Wormatiiae 27 Novemb. 1540 (Mon. Vat. p. 305): „Fatebatur tamen, se a Maiestate Sua (i. e. a Rege christianissimo) mille ducatis donatum et eiusdem se servum esse“. Joannes Poggius Nuntius Apostolicus Cardinali Farnesio. Wormat. 18 Januar. 1541 (Mon. Vat. p. 340): „El Vergerio è venuto due volte a trovarmi con longo discorso della vita sua, non solamente iustificando la venuta quà in servitio del Re Christianissimo per ordine del suo patrone . . .“ Idem apparet ex epistola, quam scripsit ad Aleandrum (Mon. Vat. p. 310, 311), in qua fatetur, alibi emendicare se panem paratumque se esse affirmat, relinquere „regem et reginas“. Vide not. 47.

<sup>36)</sup> Episcopus Aquilanus Cardinali Farnesio. Spirae 25 Januarii 1541 (Mon. Vat. p. 345): „Est et ille Episcopus Vergerius in domo Oratoris Regis Christianissimi, qui familiariter vixit cum Melanchthone et sociis et sub umbra pietatis multa miscet“.

<sup>37)</sup> Jo. Poggius Nuntius Apostolicus Card. S. Crucis. Norimbergae 19 Februar. 1541 (Mon. Vat. p. 356).

<sup>38)</sup> Idem ad eundem. Spirae 5 Februar. 1541 (Mon. Vat. p. 347): „Vorrei ancor saper, che risponderò a chi mi adimanda delle messe dell' Ambasciator Inglese et del contrattar seco, che mi è pur adimandato et qualcuno mi allega la prattica, et li conviti hanno insieme l' Ambasciator di Francia et il Vergerio con lui, come se fussero familiari di N. S.“



comessationes saepe invitabat<sup>39</sup>), quum mira quadam agilitate ac comitate singularique omnes quibuscum convenit ad se alliciendi sibi que conciliandi dono praeditus esset<sup>40</sup>).

Ceterum Granvellanus (episcopus Attrebatensis), qui in colloquio imperatoris loco fungebatur, optime perspexit, quantopere Vergerius suis consiliis obsessus, regis vero Francorum prodesset. Quare perlecto sermone supra laudato, quem Moronus, nuntius apostolicus, ipsi tradiderat, ira incensus aegerrime tulit, quod, dum colloquium celebraretur, concilii generalis mentio fieret, indignationemque suam apud complures et apud ipsum Vergerium effudit<sup>41</sup>). Et ut Granvella ita omnium, quorum intererat, ut imperatoris conatus prospere evenirent, sua agendi ratione odium in se conflavit<sup>42</sup>).

Si reapse, ut nonnulli suspicantur, Vergerius Romani Pontificis rem occulte egisset, qui tandem factum est, ut legatus apostolicus nuntii que non solum adventum eius mirarentur, sed anxii quoque haerent et nescirent, quomodo eum illo agerent? Etsi ipse se a rege Francisco mille ducatis donatum et eiusdem servum esse confessus est, tamen Vancopius Armacanus, unus ex nuntiis apostolicis, adduci non potuit, ut crederet, eum mandato regis Francorum conventui interesse<sup>43</sup>), oculisque eum suspectis observavit. Poggio item nuntio apostolico, quem, ubi Wormatiam venit, Vergerius semel atque iterum visitavit, se purgare necessarium duxit, quod in servitio Francorum esset, et persuadere studuit, se actione sua laudem mereri gratumque fecisse summo Pontifici, quemadmodum etiam ex literis amicorum Roma sibi allatis percepisset<sup>44</sup>). Nuntius autem dubius, quid responderet, sat habuit eum hortari, ut talem se gereret, qualem episcopum ecclesiae catholicae deceret. Mox tamen quum Vergerium intima cum oratoribus Galliae et Angliae familiaritate uti vidisset, literis ad cardinalem S. Crucis datis expetiit, ut per Farnesium cardinalem certior fieret, quomodo eum illo sibi agendum esset<sup>45</sup>).

Apud ipsum quoque Pontificem nuntius quondam celebris nominis iacturam haud exiguam famae suae existimationisque iam longe ante colloquium Wormatiense passus erat. Alexander enim cardinalis, ut legimus apud Pallavicinum (IV, c. 12, 11), Paulum III arcanis literis die 12 Martii a. 1539 datis admonuerat, Vergerium parum honorifice de sede apostolica loqui, illi fuisse minitatum et exereere cum Lutheranis amicitiam, quarum rerum testes protulerat Moronum et Casam, apud Venetos nuntium. Utrum Vergerius opinioni isti de se conceptae ansam dederit, an iniuste hanc incurrerit suspicionem, nihil refert. Omnimodo quis est, qui credat, Pontificem viro male iam audienti negotium istud tani difficile et anceps commisisse? Quod vero episcopus Iustinopolitanus Wormatiae agebat quodque ministri sedis apostolicae per literas Romam nuntiabant, tantum abfuit, ut Pontifici probaretur, ut maiorem etiam suspicionem moveret. Quod patet ex literis eiusdem ad cardinalem Brundusinum die

<sup>39</sup>) Mon. Vat. p. 305.

<sup>40</sup>) Cfr. quae adnotavimus supra (29).

<sup>41</sup>) P. P. Vergerius Cardinali Brundusino. Ratisbonae 23 Februar. 1541 (Mon. Vat. p. 357): „Poi la (sc. orationem saepe laudatam) diedi a Monsg. di Modena, il quale la diede come cosa buona a suo giuditio et per honorarmi a Monsignor di Granvella, il quale cominciò a far romore, perchè esso ci voleva caricar addosso una concordia de Tedechi pregiudiciale et hebbe a male, che nelle orecchie loro si facesse mention del concilio. Il che sua Eccellentia ha detto et si è scopertò con molti et lo ha detto anche a me medesimo, et credo io che questa cosa non l'harrebbe tanto premuto, se non s'havesse accorto che pure un poco io operava et scrivendo et dicendo, et non mi pento di haver scritto et detto per difensione della santa chiesa, la quale non bisogna lasciar dividere.“

<sup>42</sup>) Cfr. Mon. Vat. p. 312. 347. 356. 357.

<sup>43</sup>) Cfr. Mon. Vat. p. 305.

<sup>44</sup>) Joannes Poggius Nuntius Apostolicus Cardinali Farnesio. WORMAT. 18 Januar. 1541 (Mon. Vat. p. 340): „El Vergerio è venuto ... mostrando de persuadersi, che per li officii suoi fatti qui meritar laude et gratia appresso Sua Santità, di che dice esserne assicurato per più lettere recepute da Roma.“

<sup>45</sup>) Mon. Vat. p. 347: „Desidero saper da quella, come mi ho da governar con il Vergerio exoso quà sopra modo.“

26 Decembris a. 1540 scriptis. Imploraverat enim iterum quum aliorum cardinalium tum Aleandri quoque intercessionem, ut tandem edicto papali pensione illa liberaretur, ne diutius a dioecesi sua abesse et panem ubicunque „apud regem et reginas“ emendicare cogeretur. Responderat cardinalis, Paulum III prompto in eum animo esse precibusque sine dubio obsecurum, simul eum adhortatus, ut dignum se munere suo episcopali praestaret studiumque suum in defendenda ecclesia collocaret. Qua admonitione valde commotus rescripsit Vergerius die 26 Decembris acerbè conquerens de suspitione ista ac diffidentia Romanorum tanquam de iniuria sibi allata asserensque, se eodem quo alios et maiori ecclesiam defendendi ardore flagrare et sperare, mox sibi occasionem datum iri ostendendi, quantopere sibi ecclesiae salus cordi esset<sup>46</sup>). Si modo Pontifex sibi pensionis relaxationem concesserit, absque mora se munere sibi a rege et regina Franciae iniuncto, quod non nisi inopiae causa susceperit, se expediturum et in dioecesim suam rediturum esse pollicetur, ut officio suo melius satisfaciatur et episcopis provinciae suae in ecclesiis residendi exemplo et incitamento sit<sup>47</sup>). Et revera non ita multo post, ut literis iam Aleander innuerat, Paulus III Vergerio, quo eum ad repetendam sedem episcopalem alliceret, pensionis qua gravabatur relaxationem obtulit eaque omnia, quae per urbem spargebantur, Carolo per Poggium nuntiavit, ut Caesaris auctoritas, si fieri posset, ab illis provinciis ac negotiis hominem amoveret<sup>48</sup>).

Quum igitur, ut nihil dicam de Germanis, et nuntii apostolici Wormatiae degentes et ipse Pontifex cardinalesque parum Vergerio confiderent oculisque eum suspectis observarent<sup>49</sup>), nonne hinc licet concludere, eum minime sedis apostolicae mandato conventui interfuisse?

Quae quum ita sint, quomodo tandem fieri potuit, ut nonnulli Vergerium a Pontifice Wormatiam missum esse suspicari possent, ut eius rem sub persona ministri regis Francorum promoveret? Neque enim omnes, qui ita iudicarunt, eodem loco cum Sarpio habere nos licet, quem Pallavicinus dicit ea tantum narrare, quae comminiscatur, semperque comminisci in Pontificibus callida et fraudulenta consilia<sup>50</sup>). Respondeo, id inde fieri potuisse, quod et nuntiorum legatique apostolici et oratorum Franciae et Vergerii actiones ad eundem omnes finem intenderent, scilicet ut colloquium, ne fieret, impediretur. Quae causa Francorum impelleret regem, iam supra innuimus; multa vero erant, quae Pontificem quoque, ut talia colloquia detestaretur, commoverent. Ita Alexander Farnesius legatus pontificius, allato nuntio de conventu Spirae agendo, die 21 Aprilis a. 1540 Carolo imperatori consilium subministraverat „de inhibendo conventu Spirensi“, ostendens, quam alienum animum

<sup>46</sup>) Mon. Vat. p. 310: „Se non volete credere che lo spirito di Dio almeno un poco poco et la conscientia mi mova a dover fare ciò che ad un par mio si conviene, credetelo per le cose temporale, ciò è per li pegni che ho in Italia, patria, fratello, Vescovato et di questi pegni faccio mentione, perchè mi par non so come comprendere che quasi dubitate di fatti miei, et veramente mi fate torto a dubitare, presupponete in me altra imperfettione, che io non la difendarò, perchè io so di haverne come gli altri et più, ma questa di non haver l'animo netto et ardente alla difensione della Chiesa, in quel poco che io posso io la difenderò et combatterò; et non ne parlo più, perchè spero che Dio mi darà gratia di viver, di scriver et di operare di maniera, che chiarirò il mondo“.

<sup>47</sup>) L. c. p. 311: „È quì fama che V. S. Reume facciano hora di belle reformationi, et che specialmente trattiate di mandar li vescovi alle diocesi loro, che è la più bella cosa che possiate fare. Datemi adunque causa che io sia il primo che vi vada correndo, che vi prometto d'andarvi et lasciar Re et Regine et tutto il mondo, et attender a fare il mio debito, et ad essere un buon stimulo a gli altri miei Vescovi provinciali“.

<sup>48</sup>) Pallavicinus l. c. IV, 12, 11.

<sup>49</sup>) Cfr. quae modo ex epistola ad Aleandrum Cardinalem exscripsimus (46) et quae ad eundem scripsit d. 30 Decembr. 1540 (Mon. Vat. p. 312): „Io sono il repudiato et non so nulla, et pur so dir tanto che le cause di Cristo voglion dolcezza, et ingegni tedeschi voglion dolcezza, et un male inveterato vuol dolcezza“.

<sup>50</sup>) L. c. IV, 12, 11.

Protestantes haberent a concordia, utpote qui, „excusso semel iugo obedientiae, non reformatum summum Pontificem, sed nullum, non remotos abusus aliquos a sede apostolica, sed ipsam sedem apostolicam destructam vellent“; nullam igitur spem firmam et diuturnam pacis ex amicis tractationibus haberi posse, nisi Catholici eam pacem vellent, quae et omnem dignitatem sedis apostolicae opprimeret et catholicam religionem conculcasset omnemque ecclesiae ordinem confunderet ac destrueret. His aliisque de causis „legatus huius erat sententiae, ut concilium ante omnia convocaretur et celebraretur et in conventibus Germaniae nihil de religione tractaretur“<sup>51</sup>). Accedit quod — quae pluris quam reliqua omnia facienda sunt — Pontifex non iniuria timebat, ne disputationibus illis de rebus fidei in colloquiis institutis sanctionibusque ibidem factis sedis apostolicae auctoritas labefacteretur ecclesiaeque unitas in maius discrimen vocaretur. Iam dudum enim Leo X constitutione sua „Exurge Domine“ Lutheri doctrinam haereticam declaraverat et condemnaverat. Qua sententia pronunciata Romani Pontifices, quibus persuasum erat, quae suprema sua auctoritate diiudicassent, iam in controversiam revocari non debere, non potuerunt non postulare, ut quicumque corporis ecclesiae catholicae membra esse vellent, aut sedis apostolicae decretis obsequium praestarent privatumque suum iudicium ecclesiae iudicio submitterent aut poenas illas externas, quas leges aevi in haereticos statuerant, subirent, id quod ipse Carolus imperator regni status catholici in comitiis Wormatiae a. 1521 habitis non solum comprobaverunt, sed edicto etiam Wormatiensi sanxerunt. Quod ut exsequeretur, Pontifices Romani iterum atque iterum Caesari instituisse historiae ecclesiasticae documenta satis testantur. Unde mirum videri nequit, quod ecclesiae antistites ab omnibus illis colloquiis privatisque disputationibus, quippe quae auctoritatem sedis apostolicae iusque de rebus ad fidem pertinentibus sententiam ferendi ad incertum revocarent, valde abhorrebant<sup>52</sup>), quamvis nihil vehementius pace et concordia Germaniae exoptarent<sup>53</sup>). Non habuisset certe Pontifex, quod privatis hisce conciliis obstaret, si eo tantum consilio celebrata fuissent, ut quae sedes apostolica suprema sua auctoritate sanxerat ad exitum ducerentur, quemadmodum Leonem I Papam, quanquam epistola sua ad Flavianum data iamiam, quid esset credendum, definierat ac pronunciaverat et episcopos orientales, ut sententiae suae subscriberent, adduxerat, tamen concilio oecumenico Chalcedone celebrando assensum esse legimus, dummodo ibi non revisionis, ut cum theologis loquar, sed elucidationis examen fieret<sup>54</sup>). At Protestantes non eo animo colloquia exposcisse notissimum erat, ut quaestionibus antea obscuris et incertis melius perspectis ad sententiam Romanam se accommodarent, sed ut nullo eius respectu habito rem denuo examinarent ac ponderarent et absque sedis apostolicae interventu ac consensione decreta certa ac definita de religionis controversiis

<sup>51</sup>) Cfr. Le Plat l. c. II, 635. 637. 640. Non aliter colloquio Wormatiensi finito Vancopius (ep. ad Card. Farn. d. Norimbergae 19 Februar. 1541. Mon. Vat. p. 356) iudicat, edoctus, ut ait, praeteritorum comitiorum experientia et quam plurimum virorum (qui non flexerunt genua ante Baal) opinione confirmatus. Nempe per haec, ait, non esse ullam viam, immo ne semitam quidem ad istorum resipiscentiam, quinimo potius amplissimum et largissimum iter inde patere, per quod maiori furore more suo solito erumpant et contra Ecclesiam debacchentur. Iam enim luce clarius est, Protestantes eo animo, quae hactenus concessa sunt, comitia privata expetiisse et nationalia, ut multorum inde defectionem ab Ecclesia commoverent, et ut facilius populum ad eam, quam non solum docere, sed etiam palam tueri ausi essent, doctrinam inclinarent.

<sup>52</sup>) Cfr. Instructio per Paulum III data episcopo Feltrensi, suo ad conventum Wormatiense nuntio (Le Plat l. c. II, 678): „Nos licet ex eo quod istos super religione tractatus absque aliqua auctoritate nostra et huius sanctae sedis apostolicae factos non solum non probare, verum etiam damnare et, quoad fieri posset, prohibere, deberemus, tamen cet.“

<sup>53</sup>) Ita enim Farnesius (Le Plat l. c. p. 635): „Debent,“ inquit, „ante omnia praedicatae maiestates pro comperto habere, sanctissimum dominum nostrum veram pacem et unitatem Germaniae optare, quae tamen pax et unitas non dividat eum ab ecclesia ac constituat bellum perpetuum cum Deo.“

<sup>54</sup>) Cfr. J. Hergenröther, Anti-Ianus p. 83.

compaciscerentur. Unde legatum pontificium ad colloquium admittere noluerunt<sup>55)</sup> et diu reluctati tandem nonnisi Caesaris voluntati acriter instantis hac in re cesserunt.

Quae qui consideravit, certe non potuit sperare, conventus illos privatos Romano Pontifici gratos iucundosque fore. Quodsi nihilominus Paulus III suos ad colloquium Wormatiense nuntios legatumque mittere haud recusavit, non alia permotus est causa, quam ut Carolo imperatori optima quaeque speranti morem gereret et ministrorum suorum studiis atque opera maioribus damnis occurreret; ut Catholicorum et ipsius Caesaris animos firmaret, neve tandem res Germaniae, cuius misera conditio remedium posebat, neglexisse videretur, praesertim quum impossibile tunc esset concilium convocare<sup>56)</sup>. Quid quod imperator nihil se permissurum esse pollicitus erat, quod sedis apostolicae auctoritatem et dignitatem minueret et in quaestionem vocaret. Cui promisso plenam fidem habere Pontifex non dubitavit<sup>57)</sup>. Ceterum nuntiis suis legatoque neque facultatem ullam cum Protestantibus decreta de religione stabiliendi tribuit et legem dedit, ut a disputationibus de fide omnino abstinerent neve in controversia poni paterentur, quae rata et firma esse deberent et nulla nisi universalis concilii et summi Pontificis potestate immutari possent; ut denique omnimodo Romanae sedis dignitati, unde salus universae ecclesiae penderet, tuendae invigilarent et si vidissent, in illis conventibus non debitam huius sedis haberi rationem in tractandis his, quae ad fidem seu religionem christianam pertinerent, confestim declararent, se non solum nolle nec posse huiusmodi tractationibus consentire, sed ne in loco quidem, ubi ista praeter ius et fas agerentur, permanere, ne cum magno totius christianitatis scandalo nuntii ipsi quodammodo testes et socii esse eorum, quae tam perperam illic fierent, assensumque suum prae-buisse viderentur<sup>58)</sup>. Quae ita Paulus III Morono nuntio in conventu Hagenoensi observanda praescripserat, eadem etiam legato ad colloquium Wormatiense mittendo inculcavit<sup>59)</sup> cardinalique Contareno ad comitia Ratisbonensia proficiscenti<sup>60)</sup>. Mandatis suis ministri pontificii ita satisfecerunt, ut colloquium vel omnino — id quod Granvellanum minime fugit<sup>61)</sup> — impedire vel saltem pericula inde facile oritura, quantum fieri posset, imminuere et avertere studerent. Unde illud Moroni legatiquae perpetuum contra suffragia luctamen<sup>62)</sup>, a quibus vehementer abhorrebant non solum quoniam catholicos collo-

<sup>55)</sup> Ita placuit iis, qui Francofurti a. 1539 convenerant.

<sup>56)</sup> Ita ad „consilium“ Card. Farnesii ipse respondit imperator (Le Plat. l. c. II, 640).

<sup>57)</sup> Episcopus Aquilanus, qui bene de colloquio sperandum esse indicavit („Nunc habent colloquium et suo Marte et suis armis confodientur“), magnam fiduciam et in bona voluntate Caesaris et in arte, studio, diligentia, prudentia Granvellae collocat. „Quis“, inquit, „dubitabit posse aliquid per Caesarem statui, quo non sit e re, dignitate atque auctoritate Rom. Pont., fidei, Religionis ac christianae reipublicae? De hoc certe minime dubitandum est, nisi de Caes. M. fide, pietate, charitate ac Religione dubitaretur... Dixit enim pluries Caesar, se velle potius et Regnorum suorum et Imperii quam Religionis etiam minima in parte iacturam pati.“ (Ep. ad Farnesium et Cervinum Cardinales. Wormatiae 15 Decembr. 1540. Mon. Vat. p. 308. 309).

<sup>58)</sup> Cfr. Instructio pro R. D. Joanne Episcopo Mutinensi Apostolico Nuntio missa ex Urbe d. 15 Maii 1540. (Mon. Vat. p. 264. 265).

<sup>59)</sup> Cfr. Instructio per Paulum III data episcopo Feltrensi (Le Plat l. c. II, 679).

<sup>60)</sup> Cfr. Instructio Rev. D. Card. Contareno in Germaniam Legato data die 28 Januarii 1541 (Mon. di varia lett. I, 2, p. 212).

<sup>61)</sup> A. Cfr. A. Episcopus Mutinensis Cardinali Farnesio. Wormatiae 6 Januar. 1541 (Mon. Vat. p. 317).

<sup>62)</sup> Idem ad eundem. Wormatiae 12 Januar. 1541 (Mon. Vat. p. 324. 325): „Et con li altri secondo ho giudicato opportuno per schifare il male più che sia possibile, et per questa causa principalmente le attioni mie sono state male interpretate da Mons. di Granvela, perchè sempre ne siamo affaticati a ritenere il corso lontano da questi maledetti suffragii, et son semper stato del parere per l'evidentia del pericolo che più tosto si lasciasse il colloquio che farlo con li suffragii.“ Eadem verba legimus in ep. Moroni Card. Contareno data eodem ipso die (Mon. di var. lett. I, 2, p. 101) et ad eundem die 10 Januar. 1541 (A. l. c. p. 96). „Opinione mia più inclina, che da qui si partiremo senza colloquio,

cutores, quorum nonnullos partim non recto pede in fide procedere partim non bono in curiam Romanam animo affectos esse sciebant<sup>63</sup>), numero minores fore praevidebant, sed quoniam omnino a theologis laicisque absque sedis apostolicae auctoritate res ad religionem pertinentes in iudicium vocari decretaque sauciri fas non esse arbitrabantur<sup>64</sup>), praesertim quum certum esset et exploratum, Protestantes iis, de quibus inter theologos convenisset, vel ipso Pontifice reluctantante assensum esse praebituros.

Simili modo ceteri quoque Catholici, quotquot ecclesiae veteri dediti erant, id unum moliebantur, ut aut colloquium ad irritum redigerent aut periculo suffragiorum, ne incommoda inde religioni et sedi apostolicae orirentur<sup>65</sup>), occurrerent.

Insuper Pontificis ministri nihil omittebant, quin Germanis in mentem revocarent, res religionis in universali concilio, non autem in dietis particularibus tractandas esse. Ita cardinalis Farnesius in „consilio de inhibendo Spirensi conventu“ Carolo imperatori a. 1539 oblato non minus, inquit, morem hunc antiquum et ab apostolis ad haec usque tempora conservatum, ut in controversiis fidei concilium adhibeatur, quo sequestre et medio controversiae omnes finiantur et pax restituatur, quam rationi consonum esse, quum res religionis et fidei ad omnes christianorum provincias pertineant, ut omnium votis componantur, ex quorum concilio et auctoritate, si quid in religione sit immutandum vel corrigendum, id immutetur et corrigatur<sup>66</sup>).

Similiter etiam Campegius, legatus apostolicus, in oratione Wormatiae in publico conventu habita unicum morbi tam inveterati remedium concilium esse generale dicit, quod ipsi quoque Germani expetierint quodque Paulus III iam iam indictum Caroli precibus annuens in aliud tempus distulerit, ut illud celebret, quum Caesari inelytaeque nationi Germanicae gratum acceptumque fuerit, simul adiiciens,

---

qual a me non dispiacea ... Se 'l colloquio non si fa, vedo gran discordine, s'ancora si fa venendosi alli suffragii, come costoro cercano, si farà peggio.“ Mon. Vat. p. 327: „Jo fin qui ho fatto l'atto mio non senza infinita fatica et pericoli et calumnie, per schifare la roina delli suffragii et indrizzar il negotio a questa securezza.“ p. 319: „Sono condesceso mal volentieri etiam a questo modo, perchè sempre sto con l'animo inquieto, et dubito non si faccia tanto, che si venghi a questo maledetto colloquio libero et de suffragii per via indiretta.“ — Episcopus quoque Aquilanus sperat colloquium fore „sublato omni prorsus periculo suffragiorum“ (Ep. ad Card. S. Crucis. Wormatiae 11—14 Januar. 1541. Mon. Vat. p. 329). Campegius item in literis ad Contarenun scriptis (Mon. di var. lett. I, 2, p. 99) „Havendo“, inquit „alli VIII parlato col Sig. Granvella per firmarlo bene non lasciasse, che per indiretto si venisse alli suffragii.“

<sup>63</sup>) Ita legitur in instructione Campegio data (Le Plat l. c. II, p. 681) Cfr. Episcopus Mutinensis Card. Farnesio. Ratisbonae 26 Februar. 1541 (Mon. Vat. p. 358): „Et quanto alle cose di Wormatia ... gli replicai, che non si era possuto fare altrimenti, perchè al principio per schifar gli suffragii, quali erano pericolosissimi alla Religione nostra, essendo nella parte de Catholici gli agenti del Palatino et il Brandenburgense Elettore et del Duca di Cleve non solo sospetti, ma aperti Lutherani.“

<sup>64</sup>) Episcopus Aquilanus Cardinalibus Farnesio et Cervino. Wormatiae 15 Decembr. 1540 (Mon. Vat. p. 306): „Angor assiduis animis, curis et molestiis, dum video statum istarum rerum causamque Christianae Religionis, quae non nisi a sanctissimis et gravissimis viris et e Summi Rom. Pont. auctoritate tractari consuevit, hoc tempore nescio qua fati necessitate et ab ipsis Religionis hostibus et ab aliis, quorum fides non plane constans existimatur, in iudicium deduci, demum ad Germanorum Principum conventum referendam.“

<sup>65</sup>) l. c. p. 307: „Damnant aliqui, quae in Conventu Augustensi, Francfordiensi et Haganoensi acta sunt, ea praecipue de causa, quod dissidentibus germanum colloquium concessum sit, putantes ex colloquiis maximum incommodum Religionis et Sedi Apostolicae parari.“ Cfr. quae Moronus ad Farnesium Cardinalem die 12 Januar. scribit (Mon. Vat. p. 324): „Li Presidenti sono divisi et Magontini et Bavari hanno il fine suo bene regulato, et si sforzano con ogni conato o d'impedire il Colloquio o che si faccia con mancho danno, che sia possibile per la religione, questi hanno sempre communicato meco tutti li suoi consigli, et io non ho mancato del debito con essi.“

<sup>66</sup>) Le Plat l. c. II, 638.

imperatorem et hoc ipsum colloquium Wormatiense nonnisi „velut praecursorem quandam“ concilii oecumenici indixisse<sup>67)</sup>.

Quum autem oratores regis Francorum utrumque in conventu persequerentur, ut scilicet applaudentibus Pontificis ministris colloquio obniterentur et data occasione concilium generale commendarent, et una cum illis Vergerius, non est, cur magnopere miremur, quod nonnullis, quibus non aequae ac nobis rerum statum tramitesque occultos hominum politicorum perspicere contigit quorumque haud pauci curiam Romanam nonnisi dolis et fallaciis fines suos persequi suspicabantur, in mentem venire potuit credere, Vergerium sedulo suum in sedem apostolicam amorem profitentem etiam Pontificis nomine Wormatae adfuisse, cuius rem opportunius sustineret ac promoveret. Ipse autem Vergerius forsitan eo libentius regi Francorum morem se gerere debere arbitratus est, quum persuasum haberet, se tali modo non solum patrono suo pro beneficiis acceptis gratias reddere, verum etiam sedis apostolicae auctoritati ac dignitati prospicere et ita Pontifici Romano gratum facere<sup>68)</sup>. — Episcopum igitur Iustinopolitanum non ut oratorem Pauli III, sed suo nomine regisque Francorum mandatu quidquid Wormatae egit egisse ac proinde Sleidanum, Sarpium et alios vanam adstruisse sententiam, ex iis quae attulimus manifestum est.

<sup>67)</sup> l. c. p. 690.

<sup>68)</sup> Cfr. Mon. Vat. p. 340 et quae supra (44).

## LECTIONES.

### A. ORDINIS THEOLOGORUM.

#### Dr. Hugo Weiss, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Evangelium secundum Marcum synoptice interpretabitur quater per hebd. hora VIII.
- II. Apologeticen tradere perget bis per hebd. horis deff.
- III. Repetitiones exegeticas instituet semel bisve per hebd. horis deff.

#### Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

- I. Liturgiam Romanam commentabitur quotidie hora VIII.
- II. Disciplinam homileticam docebit diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora VII.
- III. S. Augustini libellum de catechizandis rudibus interpretabitur diebus Martii et Jovis hora VII.

#### Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

- I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora IX—X.
- II. De arte et artificibus novissimi temporis disseret die Veneris h. IX—X.
- III. Repetitiones de historia ecclesiastica instituet die Saturni h. IX—X.

#### Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

- I. Doctrinam de gratia et justificatione, de Sacramentis de rebus denique novissimis quinquies vel sexies per hebd. exponet hora X.
- II. Psalmos selectos interpretari perget bis terve per hebd. horis deff.
- III. Grammaticam linguae hebraicae adjunctis exercitiis interpretatoriis continuabit ter per hebd. hora II.
- IV. Carmen medii aevi heroicum, quod a „Nibelungis“ nomen ducit, explanare perget semel bisve per hebd. horis designand.

#### Lic. Julius Marquardt, P. P. E.

- I. Doctrina de virtutibus et officiis ad vitam sociale pertinentibus ad finem perducta de principiis theologiae moralis disseret quinquies per hebd. hora XI.
- II. Repetitiones et disputationes de rebus moralibus instituet semel bisve per hebd. hora XI.
- III. Historiam literariam ecclesiae primaevae tradere perget horis deff.

## B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

### Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Ciceronis de republica libros enarrabit h. d.
- II. Inscriptiones selectas interpretabitur bis hebdomade hora IX.
- III. Euripidis Iphigeniam Tauricam interpretabitur bis hebdomade hora IX.
- IV. Exercitationes latine scribendi instituet h. d.

### Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

- I. Geographiam mathematicam, physicam et Atmosphaerologiam tradet, et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Lunae et Jovis hora XI—XII.
- II. Astronomiam popularem cum Astrognosia conjunctam exponet diebus Martis et Veneris hora XI—XII.
- III. De Chronologia disseret semel per hebdomadem hora definienda.

### Dr. Jos. Bender, P. P. O.

- I. Historiae recentioris partes praecipuas tradet ter per hebd. h. VIII.
- II. Germanorum antiquitates, imprimis res mythologicas enarrabit bis per hebd. h. VIII.
- III. De praecipuis historicis eorumque scriptis disseret semel per hebd. h. VIII.
- IV. Historiam poesis christianae maxime apud Germanos exponet hora definienda.

### Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

Lectiones nullas habebit.

### Dr. Jos. Krause.

- I. Psychologiam tradet ter per hebd. hora X.
- II. Metaphysicam docebit ter per hebd. hora X.
- III. Repetitorium et disputatorium philosophicum instituet semel per hebd. hora defin.

## PUBLICA DOCTRINAE SUBSIDIA.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praest **Prof. Dr. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt**.



## Certamen Literarium et Praemia.

### Renuntiatio iudiciorum de certamine literario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in annum currentem propositarum promulgatio.

**Ordo Theologorum** pro certamine literario has quaestiones proposuerat:

I. Ex instituto Regio: S. Thomae Aquinatis de affectibus virtutibusque spei et timoris doctrina explanetur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De symboli apostolici origine et in veteri ecclesia usu.

**De priore** quaestione traditum est Ordini opusculum his inscriptum verbis: „Noli sperare sine timore neve timeas sine spe!“

Quod tum dispositionis vitii tum disputationis dictionisque asperitate haud admodum commendatur. Desiderantur quoque alia, alia subtilius perspicenda et accuratius explicanda erant. Ceterum auctor in referendis Doctoris Angelici sententiis diligenter et industrie versatus est. Quapropter Ordo Theologorum, praesertim difficultatis rei ratione habita, praemium ab eo non abiudicandum esse censuit.

Schedula reclusa nomen prodiit:

Franciscus Thiel, stud. theol.

**De altera** quaestione commentatio Ordini exhibita his inscribitur verbis:

„Acceptam hanc praedicationem ac fidem ecclesia . . . . praedicat, docet ac tradit etc.“ S. Irenaeus contr. omn. haer. I, 10.

Quam qui conscripsit veterum patrum de regula fidei placita sollerter collegit, varias symboli apostolici in ecclesia occidentali et orientali formas scite inter se contulit ideoque priori quaestionis propositae parti omnino satisfecit; alteram brevius quidem quam res poscebat minusque feliciter tractavit; totum tamen libellum ita confecit, ut Ordo praemium constitutum libenter ei concesserit.

Reseissa charta innotuit:

Josephus Kolberg, stud. theol.

**Ordo philosophorum** hanc proposuerat quaestionem:

„De via ac ratione cognoscendi, qua Raymundus de Sabunde in opusculo de theologia naturali utitur“.

Commentatio Ordini subjecta est una his verbis insignita:

*Γνώσι σαδρόν.*

Quam qui conscripsit, de ratione, quae inter scientiam et fidem apud Raymundum intercedat, idoneis usus argumentis scite quidem ac subtiliter, sed non satis copiose disputavit. Nimis autem unum cognoscendi principium, quod in nobismet ipsis sit positum, pressit. Scribendi genus est purum ac dilucidum. Quapropter Ordo commilitoni praemium adjudicavit.

Aperta charta prodiit nomen auctoris:

Augustinus Spannenkrebs, stud. theol.

**In annum currentem 1878—79 pro certamine literario has quaestiones proponit**

**Ordo Theologorum:**

- I. Ex instituto Regio: Proponantur et examinentur graviora psalmodum de Messia eiusque regno vaticinia.
- II. Demonstretur, quid operae ac studii concilium Lateranense V. ad ecclesiam reformandam contulerit.

**Ordo Philosophorum**

commilitonibus de praemio regio certaturis hanc proponit quaestionem:

„Henrici III. Episcopi Warmiensis vita et de litterarum terraeque cultu merita ex fontibus vernaculis describantur.“

Certantium commentationes sermone latino scriptae et more consueto signatae ante d. XV. Januarii anni MDCCCLXXX. Rectori Lycei tradendae sunt.

Victoribus praemia constituta sunt ex instituto Regio LXXV, ex stipendio Scheill-Busseano C marcarum.

Promulgatum in solemnibus Serenissimi Imperatoris et Regis Guilelmi nataliciis die XXII. Martii anni MDCCCLXXIX.

